177792

NOS CAROLUS

DEI Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; REX, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Brehmæ Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Vismariæ; Nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, & Montium DUX.



Niversis ac singulis, quorum interest, imprimis verò Reverendissimis, Illustrissimis, Magnificis ac Generosis Ordinibus in Magno Ducatu Lithvaniæ, cunctæq; illic Nobilitati, præsentibus hisce notum testatumq; facimus: Cum ad profligandum iniquissimum bellum, quod Rex Augustus, violato Olivensi foedere Nobis intulerat, in Poloniam cum exercitu sumus ingressi, injurias Nostras ita ulcisci voluimus, ut Reipublicæ ab illo oppressæ rationem simul haberemus. Videbamus enim salutem Poloniæ, cum Nostro ita conjunctam esse Regno, ut neq; illa libertatem tueri suam, neq; nos fidam immotamq; cum illa pacē conservare possemus, nisi remota malorum causâ, utriusq; Regni securitati adversus insidias subsessorum prospiceretur. Prosperavit adeo consilia Nostra DEUS, vindex omnis perfidiæ ac iniquitatis, ut hoste ubiq; fuso, Polonia tempus nancisceretur vulnera, quibus exedebatur, rimandi, plagisq; periculosis, quas culpâ Regis sui acceperat, tempestivum adhibendi remedium: exauctorato primùm ob notissimas gravissimasq; causas oppressore Rege, inquè locum ejus Electo Serenissimo Principe ac Rege STANISLAO Primo, cui consvetis nuper solennibusq; ritibus diadema imposuit Polonicum. Nos itaq; non tam satisfactionem intuentes, quæ justa nobis contigerat, quàm pignus adepti duraturæ in posterum fidei, pactorumq; observantiæ, non dubitavimus per Legatos Nostros in Comitijs Varsavienſibus cum eodem Rege ac foederatis Reipublicæ Ordinibus antiqvū renovare foedus, veteremq; restaurare amicitiā, conditionibus adeo luculentis & Poloniæ proficuis, ut illa non modo integris finibus suis concussam pacē redimeret, sed etiam nostrū sibi stipularetur auxilium adversùs quoscunq;

)(tam

tam intra, quàm extra Regnum qui novumRegem infestare, illamq; impedire sustinuerint, quo minus pristinam recuperet libertatem, Iuraq; ac Privilegia libero populo usitata, jam verò Moscicis Saxonicisq; insidijs in ultimum adducta discrimen afferat. Quæ Religioso foedere promisimus, præstare optimâ fide, ac pro virili annitemur certi arma priùs non deponere, quàm annuente Supremo Numine, quod justæ causæ Nostræ adfuturum omnino confidimus, pacatam Poloniam, novumq; Regem extra discrimen positum, ejectis hostibus, videamus. Hoc proposito in Lithvaniam reversi, spem capimus indubiam, inclitos ejus Ordines & universam Nobilitatē, qui incumbente hactenus onere domesticis malis occupati, lacertos movere non potuerant, jam tandem ad excutiendū exterorum jugum, cum auxiliaria arma Nostra in propinquo circumferri videant, tantò promptiùs concursuros, quantò intolerabiliorem hactenus exterorum dominationem experti sunt. Quam impigrè ac feliciter Ordines foederatæ Poloniæ hoc exsecuti fuissent, notum est: quibus animo ac in patriam caritate Lithvaniam nihil concessuram æqvum est credere, sed potiùs ad liberandam patriam experrectos studijs suis paribusq; votis sublevaturam, dum animi calent, & opportunitas rerum invitat. Erectum jam cernitis libertatis signum, præeunte Serenissimo Rege STANISLAO: cui imperium ut stabiliatur, eò magìs optandum, quòd indigena, moderatus, fortis, patriarum legum gnarus & amans, libertatem, cui ipse innutritus fuerat, solicitè conservabit ac tuebitur. Ad Nos quod attinet huic instituto arma Nostra dicavimus: laborum omniū, quos sustinebimus, non aliud gratiusq; præmium Nobis deposcentes, quàm ut salvam Rempublicam, salva Iura ejus, noviq; Regis solium constabilitum videamus. Ea jam dedimus in Rempublicam sinceri animi documenta, ut nemo hanc intentionem Nostram in dubium vocandi æquam habiturus sit causam, sive recens foedus cum illa sancitum, sive reliquas actiones Nostras, percensere voluerit. Inveniet Nos fidei ac promissorum nusquam fuisse negligentes: qui etiam cum lautissimas conditiones, opimasq; è fundo Reipublicæ Provincias, ab hoste Nobis oblatas, lucrari potuissemus, maluimus non exiguo proprij Regni incommodo, quod peregrinantibus in Polonia armis Nostris, passi sumus, Reipublicæ saluti subvenire, quàm à data fide tantillum recedere. Quæ verò conspirati hostes moliantur, neminem vestrū irâ ac privatis simultatibus adeo obcoecatū esse arbitramur, qui non ea & videat & expavescat. Non ignorare quisquam vestrum potest, si vel maximè dissimulet, quæ prior Rex à primis Regni auspicijs in perniciem totius Reipublicæ, & in primis Lithvaniæ, cum animo suo constituta habuisset. Quæ coargui eò minùs jam necesse est, quod testimonia habeatis Virorum de Republica optimè meritorum, qui enormia

ejus

ejus destinata, & actiones totius orbis oculis, publico scripto, exponere non dubitârunt. Cum Nostris armis præoccupatus, persequi illam non potuisset, seq; gradu depulsum vidisset, inimicissimum Polono nomini hostem in Reipublicæ Provincias pertraxit, quo cum antea secretā cum contraxisse societatem constat, ad Poloniam non minùs, quàm Sveciam opprimendā. Qui impendisse hoc discrimen, cum initio prædicebatur, non crediderant, jam nimiam oculis suis attribuant fidem oportet, cum inundatam Moscorum, barbararumq́, gentium colluvie Lithvaniā adspiciant. Cum inducta hæc agmina nemo verè affirmaverit ad Poloniam Nobis eripiendam, qui è finibus ejus nihil decerpere voluisse Nos & antea declaravimus, & nupero fœdere ostendimus, relinquitur dijudicandum, quo cuncta hæc tendant. Si ad veterem regem restituendum destinata sunt, vetus quoq; renovabitur scena, Poloniæ Lithvaniæq; procul dubio exitiosa ac fatalis: cujus ultimus actus esset, ut firmata alterius dominatione, alter mercedem iniquæ societatis è fundo Reipublicæ reportaret. Qui tanta liberalitate erga Nos uti voluerat, an parciore tam fidum conjuratum oppignorare voluisse largitione, credendus sit? Ij verò qui literas in Moscoviam superiori anno missas viderant, quid Czarus animo volvat, rectiùs conijcient, si Lithvaniam titulis ejus adjectam invenissent. Interim quorum operâ usus est Rex Augustus ad pestem hanc in fines Reipublicæ arcessendam, speciosum ij quidem inconsveto fervori ac ambitioni suæ titulum præferunt; qui tamen Rempublicam funditus eversam præoptare videntur, quam suis non litare affectibus. At hos opinio sua vehementer fallet, si lucem hanc, intima Reipublicæ viscera corrodentem, tam facilè discuti putaverint, quàm fuisset inducta. Quis enim Moscorum cupiditatibus legem præscribet? aut tam simplex erit, ut credat vacuis manibus exituros, ad nutum jussumq; eorum, qui eos adsciverant? Qui non semel ostenderat se fœderum religione parùm moveri, quis existimabit eorum in posterum fore observantiorem? aut quomodo planum fiet, eum qui tot vasti ac insatiabilis animi signa dederat, qui Polonis Lithvanisq; ut mancipijs imperat, sacraq; eorum contumeliosè tractat, moderatiorem fore, metu armorum Nostrorum ademto. Deponeret procul dubio mutabilem istam comemq; personam, quam susceperat: futurus illis, qui adjutaverant, tanto acerbior, quanto invitioribus oculis ab illis, quorum credulitas decepta esset, conspici se intellexerit. Interea hunc fructum pervicaciæ suæ metent, ut, cum illi ipsi de fortunis suis periclitentur, devastari patriam suam, propinquos, amicos, conjuges liberosq;, carissima cujusq; pignora, in servitutem abstrahi videant, & universi deniq; rigidas sub jugo Moscovitico cervices inflectant. Qua propter, quibus sua & publica salus cordi est, eos omnes singulosq; præsentibus literis admone-

ne-

nemus, ut ſaniora tandē conſilia capiant; depoſitiſq; feralibus diſſidijs, concordibus animis ſtudijſq; ad eorum ſe applicent ſocietatem, qui cum Sereniſſimo STANISLAO Rege conculcatam libertatem recuperare, Rempublicamq; univerſam ab interitu vindicare aggreſſi ſunt. Conceſſa eſt diſſidentibus amneſtia anteactorum, apertuſq, in ſinum Reipublicæ reditus: Cujus vigore Nos quoq; propenſi ſumus, non tantùm in fidem accipere, quos pro communi cauſa rectè animatos comperiremus, ſed etiam eos, eorumq; fortunas ac bona ab inſultibus hoſtium tueri, abq; cunctis defendere vexationibus. Deſinant igitur Patriæ ſuæ ruinam accelerare, conſiderentq; nullam eſſe luctuoſiorem victoriam, quam quæ civili ſangvine comparatur. Quantò ſatiùs erit in communem Sveciæ ac Poloniæ hoſtem iras convertere, dum aut diſperſus agit, aut ita deliteſcit, ut præſidium à munimentis quærat. Quæ Noſtrarum ſint partium, ſedulò curabimus: pleni fiduciâ, rem nos ita geſturos, ut in commodum, decus & utriuſq; Regni incremētum vergat. Qui verò facultatem à Nobis oblatam aſpernantur, nec dum ſatiati Patriæ ſuæ calamitatibus, in pernicioſo propoſito adversùs Rempublicam, novumq, Regem, quos ad ultimum defendendos ſuſcepimus, perſeverant, ſuæ pertinaciæ acceptum referant, ſi ubiq; locorum, ea mala, quæ promeruerant, jure ac rigore belli ijs repræſentari faciamus: quæ matura declaratione, ſi viſum fuerit, evitare atq, prævenire illis integrum eſt. Quo autem magis conſtaret, ea, quæ præmonere viſum eſt, impletum iri in has literas manu Noſtra ſubſcriptas, ſigilloq, Regio communitas, ad ſingulos Palatinatus in Magno Ducatu Lithvaniæ mitti juſſimus. Dabantur in Hybernijs Noſtris Camioncæ, die XXIX. Ianuarij, Anno MDCCVI.

CAROLVS.

L.S.

C. PIPER.

